Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 407

Quelle:
Copyright:

Atque hinc in *Marbodum Redonenſ.* incidi, inter cujus Metrica hi *Colores* habentur in edit. Ejus et *Hildeberti Cenoman. Pariſ.* 1708. *col.* 1587. f.

V. *fol.* 79. Poema hexametricum hiſtoricum ἀμοιβαιον nomine *Synodici*, quod praecedunt hi Verſus miniati:

A ſynodo bellus bene dicitur iſte libellus
Propter conuentum. patet hoc animis ſapientum.

Conveniunt videlicet *Sophia*, *Tblepſis* et *Neocosmus*, illaque hos referre jubet varios eventus vetuſti et recentioris aevi, qui aliquam inter ſe ſimilitudinem haberent, quaſi dicas, Παραλληλα Vet. et novi Teſtamenti. Praefatio eſt ſequens:

Verſibus emenſis his auctor baſilienſis
Vir quidam clerum paritates querere rerum
Ammonuit primus domino quas indice ſcimus.
Rerum priſcarum breuis editor atque nouarum.
Non ueteri more ſed eas ſcribendo canore
Et quaſi certantes ponendo duos modulantes.
Res ab eis iuncte titulantur in ordine cuncte
Iudice matrona dare que ſolet optima dona.
Vt nomen noris laudator compoſitoris
Senſim primarum ſeriem coniunge notarum.

Conjunctis igitur primis Verſuum horum literis prodit *Warnerius*, isque, ut dicitur, *Baſilienſis*, de quo cum nihil in *Leyſeri Hiſt. Poet. med. aevi* reperirem, alibi ſcrutantem paene in errorem dedit *Geſneri Bibliotheca*; offert enim *Wernerum* Abbatem S. *Baſilii* Scriptorem *Deplorationum*, verum re penſata vidi S. *Baſilio* ſubſtituendum ibi S. *Blaſium* et *Deplorationes* vertendas in *Defloraliones*. Itaque apud Scriptores, quos de *Warnerio* noſtro conſului, operam luſi. Poema ille ſuum ita auſpicatur:

Jam calor eſtiuus feruente leone nociuus
Tranſiit. auguſti finis dat pocula muſti.
Campis detectis et pomis arbore lectis
Vndique potatur contractaque cura fugatur.
Nos quoque letantes dum ſuſtinet herba cubantes
Ramis protectos eſca potuque refectos.
Condelectemur uerbis ſacris recreemur.
Tblepſi uetuſtarum memor et neocoſme nouarum

Am-